





IX.

8

ASCENDENTIS
CHRISTI
TROPHÆUM

publicatum

per

CHRISTIANUM GUEINZIUM
Gymnafii Hallenfis
Rectorem,



Excudebat Hallis Saxonum PETRUS
FABER *Typographus.*

1 6 3 6.



Prosper Aquitanicus

Epigram. 105.

Este volens, gaudere optans, scire abdita quærens,
Ut Te non teneant ultima, summa pete!
Delectare Deo rege, in cœlestibus esto,
Et quæ spe sequeris, credita amore tene.
Nulla in Te maneat hominis vestigia primi,
Nec formam veteris gestet image Dei.
Exulta agnoscens, Te verbi in carne renatum,
Cujus si pars es, pars tua Christus erit.
Qui, ne damnandi legeres mala gaudia mundi,
Promissum ad regnum se tibi fecit iter.



Christus ut ad Patriam cœli conscenderat aulam,
Qua *Pater* almus habet, qua *Sanctus Spiritus*; & qua
Majestas ævum divina per omnia regnat,
Astra tenet: dedit ut signum dilectus hiulcæ
Nube *Pater*, calcat pedibus quam vectus in altum.

Ipse super cunctos cœlos tractusque coruscus.

Ex templo strepuere poli, collisque Sionis

Pulsibus impulsus resonabat voce refractâ;

Auratasque novas trabeas, currusque parabant

Angelici cœtus comitabanturque petentem.

Cœlestis rursus divina palatia sedis.

Excipitur radiante throno, quem gloria mactat;

Sideribus gemmata domus, cui limina clavis

Pandit stella comis, decus iridis atria curvat,

Porticibus lux ampla micat, sunt fulgura lucos.

Hic *Pater* ipse stolam proprio producit in ostro,

Filaque concreto cogit radiare rubore.

Qualis purpureas præbebat candida vestes

Luminibus *Lætona* suis, cum sacra redirent

Ad loca nutricis, tali circumdat amictu

Æternam *Genitor* Subolem, quo *Victor* ad aulam

Debebat remeare suam. Divina potestas

Emicuit: lapsum ut noscas ex æthere nostrum

Protinus auxilium, quod scimus & esse receptum:

Scimus & humanis omnes advertere rebus

Personas, & quæ certant quid singula possit

Christigenis præstare suis: simul omnia præstant.

Testatur mundus, testatur gratia nobis

Reddita cœlestis, testatur & omnis & omnis.
Accepit plausus patulis infernus in antris
Ima valle latens, arrectis auribus hæsit.
Inde repentinus cœli fragor. Ilicet herbis
Crescentes thalamos, & structa cubilia musco
Aligeri accedunt, Dominique potentia narrant
Facta, quibus renitent divino lumina vultu,
Cœlimicis infecta notis, reddentia Patrem
Cœlestem: Dio densantur numine vestes:
Vertice luxuriat toto bonitatis imago,
Quam neque fas Zephyris frangi, nec sole perustam
Æstivo candore mori: sed vividus ardet
Ætherium caput amplexus, qui talia reddunt:
Quis stupor attonitos agit? & cur lumina cœlo
Sic tantum obtutu sine fine infixæ tenetis?
Quem modo vidistis nostri, plebs fida, Magistris
Astra penetrantem cum Majestate redibit
Ista, cœlimicis rursus fulgentior astris.
Est in promissa Galilææ collis arena
Qua medius summas felix se tollit in auras:
Hic cœtus aderant & jussa sequentia pandunt:
Unanimes Fratres juncti properate propinquas
Ire domus, ubi sunt prælustria templa Sionis,
Dona expectatum promissi Flaminis. Ite!
Ite citi, linguasque procul radiare bisulcas
Cernetis, varias tolli de Numine voces.
Obstupuere Viri, mirandaque nuncia lingvas
Oppressas tenuere diu. Mox ora resolvunt:
Respice si tales jactas habuisse stupendas
Res, ô monde! vide quid publicet omnibus æther:
Vatidicus! nova Majestas mittetur ab astris.
Euge mei cives, nunc omnis Apostolus optat
Adventum, flammis que parat sua labra futuris

Flatus

Flatus, qui modo per totum dominabitur orbem,
 Fulgure pro Sinai radiabunt Flamini ignes,
 Pro tonitru lenis spirabit gratia Flatus.
 Nunc decet ergo preces Domino libare potenti:
 Nunc & corda libet dissolvere carmine multo
 Victori reduci. Niveos jam pandite cœtus
 Christides! & totum præcingite laudibus orbem:
 Thura ferant omnes. Ah profluat arida tellus
 Mutatis in aquas radiis! Ah sponte per agros
 Sudent irriguis morientia semina venis!
 Currat qui socios roget in commercia laudum
 Indigenas, aliosque homines, quicunque suberrant
 Hinc atque inde procul: quos Nilus & Odera potat,
 Quos & aquæ Jordanis habent, ubi Sala restagnat.
 Sic optant expectaturi munera cœli.

Hæc Proceres, quocunque velitis in ordine, magni,
 Nos simul expectaturi repetisse juvabit.
 Hinc & honoratus nostro celebrabitur ore
 Iste dies, sanctis studiis recoletur & usque
 In nostro, quoad hic audebit Apollo; Lycæo.
 Et quia transumpsit nubes ad culmina cœli
 Christum, non miror quod stillet gratia nobis
 Nulla iterum nubis: sine Christo nubila vana,
 Ac exustus ager morientibus æstuat herbis.
 Vis nubem pluviam? Christum sub nube fatiga
 Devotis votis ut aquas destillet abunde
 Gratia cœlestis. Cœlestia scande subinde
 Atria mente tuâ! terrestria cuncta relinque!
 En Deus ipse salum totum, terrasque profundas
 Perlustrans, hominum in cœtus de vertice cœli
 Lumina deflexit, num tandem ex millibus unus
 Non iter erroris teneat, Jovamque tremiscat.

A 3.

Act

At videt unanimes, ceu Sanctus Spiritus inquit,
Quos fert occasus, quos fert Trithonia conjux,
Defecisse omnes, omnes ad crimina ferri.
Qui rectum justumq; colat, moresque prebatos,
Nullus adest, nec & unus: veræ devius error
Omnes avertit pietatis tramite, Sanctus
Spiritus ingeminat. Quare cœlestia querat
Omnis, quisquis amat cœlestia: scandat & una
Cum Christo cœlos, Sint enthea pectora sursum!

Declamaturi sunt

ERICUS Gärtner | Cotbusio Lusatius
in prosa.

HENRICUS König | Trefordia Hassio Tyrigeta
Saxo in ligata.

ANDREAS Schreiber | Hallensis Saxo
in ligata.

CHRISTOPHORUS Sacer | Naumburgo Mi-
sanicus in prosa.

CHILIANUS Freyer | Hallensis Saxo
in ligata.

MICHAEL Flößer | Hallensis Saxo
in prosa.

De

De quorum exercitiis

1.

Christus ut ad patrium rursus remeavit Olympum,
Victor terricolis summa trophæa tulit:
Et Paradisiaci referavit limina clausi
Illis ut cœli janua aperta foret.
Attamen ad cœlos nemo, nisi terrea linquat;
Non nisi post terram cœlica regna patent.
Id docet ERICUS GÆRTNERUS pluribus, atque
Monstrat qui Christus scanderit astra poli.
Vis GÆRTNERE simul Paradisi gaudia? Perfer!
In cœlis *Olitor*, quò Paradisus, eris.

2.

Christus devictis Satana Letho que triumphat,
Et tandem Victor scandit ad astra potens.
Ac ibi perpetuos, veluti Rex, usque triumphos
Æternat, Patris qui sedet inque throno.
Dicit id HENRICUS KÖNIG, simul esse que gestit
Illic ut videat regia jura DEI.
Vis KÖNIG itidem CHRISTI isthæc regia jura?
Scande polos! illic, rex nisi, regis eris.

3.

Heroum scribant alii fortissima facta,
Gessit Alexander qualia, sive Nero.
Christiadas juvat at Christi describere facta,
Nostræ perfecit quando salutis opus.
Quomodo post fera flagra, crucem surrexerit; & qui
Ceum Victor tandem scanderit astra poli.
Hæc SCHREIBERUS habet diducto carmine: perge
Talia scribere! eris sic quoque Scriba DEI.

4. Quæ

Quæ sunt in terris ea sunt, ceu vana, profana,
 Omnia, sunt mala, sunt pessima, suntque nihil,
 Quæ contra in cœlis, ea non nisi cœlica, dia,
 Sunt ea sacra modò, sunt ea sancta modò.
 Ergo cœlestes, CHRISTUS sanctissimus ipse,
 Maluit ex terris ire, redire domos.
 Id SACER ostendit. SACER & vis esse quod audis?
 Sacra petas cœli! ficeris usque SACER.

In terris quisquis vivit servilia tractat,
 Dum servit mundo, servit & ipse malo.
 Ad cœlos verò qui scandit, libera regna
 Is petit, in cœlis libera cuncta vigent.
 Ad cœlos igitur CHRISTUS quoque scandit, ut esset
 Cum CHRISTO ascendens cœlica, liber homo.
 Sic FREYERUS habet. Quare FREYERE subinde
 Pergas cum CHRISTO scandere, liber eris.

Arida sunt quæcunque vides, quæcunque pererras
 Nunc loca telluris, nullus & humor adest.
 Cum CHRISTO nubes abiit, nec guttula stillat
 De cœlis, tibi nî CHRISTUS in orbe pluat.
 Ut pluat ad CHRISTUM devota precatio scandat,
 Illa aperit cœlos, illa pluiffe facit.
 Hoc FLÖSSERUS ait. FLÖSSERE ascendere perge
 Cum CHRISTO! hinc vivi flumina fontis erunt.

Ita censeo

Gueinzius.

Cl 1926

ULB Halle 3
001 556 118




Stk. 6 = Handschrift


Sb.

Paul Friedrich
Buchbindermeister
Merseburg a. S.

VDA







ASCENDENTIS
CHRISTI
TROPHÆUM

publicatum

per

CHRISTIANUM GUEINZIUM
Gymnafii Hallenfis
Reftorem,



Excudebat Hallis Saxonum PETRUS

FABER Typographus.

1 6 3 6.

